

2730 VARA I. N. S. S. T.
DISPUTATIO PHILOSOPHICA
INAUGURALIS,

PRINCIPUM INSTI-
TUTIONE, PRÆCEPTO-
RIBUS STUDIIS & VIR-
TUTIBUS INDE RESUL-
TANTIBUS;

Ex consensu & adprobatione amplissimæ

Facultatis PHILOSOPHICÆ in inclyta & celebri

ACADEMIA ad auram,

PRÆSIDE

VIRO *Præclarissimo*

M. SIMONE PAULINO,

In prædicta Academia Lingvarum Hébr. & Græc. Pro-
fessore ordinario, Præceptore & promotore, qvovis honoris
& obseqvii cultu etatem suspiciendo;

Pro Gradu Magisterii

Placide Philosophantium censuræ modeste & submisæ
Exhibit

DANIEL CLEMENTIS NORDIIN

Angermannia Svecus.

Addicem 18. Julii Anni 1685. in auditorio Maximo
superiori, loco & horis consuetis.

Expressa à JOHANNE Winter/ Sie R:ae Matis
In Finlandiæ Typogr.

M: Laurentius D: R:

Reverendissimo in Christo Patri ac DOMINO,
MAG. MATTHIAE STEUCHIO,
Ecclesiarum per Norlandias Occidentales

SUPERINTENDENTI, & Consistorii Hernosandensis
Præfidi gravissimo, Mœcenati magno, devota animi vene-
ratione æternum suscipiendo:

Ut &

Plur. Reverenda & Clarissima

Regii Gymnasi Hernosandensis Lectoribus & Consistorii
Adsefforibus vera laude mactandis;

Nec non.

Reverendo ac Doctissimo

Dn. NICOLAO JONÆ BERGIO,
debita laude nunquam defraudando,
&
Specatissimo

Dn. ANDREÆ SAND,

Civitatis Hernosandensis Mercatori honorando, ad finibus
meis per quam charissimis

Salutem & felicitatem perennem!



Olumina scriptaque orbis eruditum dum quis curio-
sè conatur per volvere, que, Numini Altissimo
laus honor & Gloria in secula nunquam fini-
enda! nostram in primis Europam adeo singulari
illustrare veritatis virtutisq; luce & decoro, ut in exprimen-
do lingua fatiscat, bareat mens, atas præsens magisq; postera
dubio procul miretur stupeatq;. Quæ tamen omnia ex accura-
ta, regulari, pia, probata educatione ortum & originem ro-
burq;

burg, traxisse nemo nisi mentis impos sanioris ibit inficias.
Nihil proinde in vita pulchius nihilq; proficuum magis, quam de-
bitus decensq; ingeniorum cultu, qui nos à ferarum ritu & more
separare humanitatig; restituere potest & sustinet, ne imaginis di-
vinae scintillula mentibus relicta humanis, incuria culpaq; propria
prorsus sepeliantur suffocenturq; ; haud aliter quam si agriculta
fundi sui, indefessam non habuerit curam, interitum ruinamque
sentirent cuncta ; teste rerum Magistra experientia. Cum verò talia
aliori ingenii scrutinio perpenderim, de tam nobili materia, sci-
licet institutione & educatione Principum, hæc pauca meditari, lis-
seris typiq; consignare, & ventilationi publicæ sistere duxi consul-
tum, pro ratione temporis viriumq; ingenii. Ordinem secutus natu-
ra, salutem non facientis, primò ipsam Principum filiorum instituti-
onem eiusq; vim & tempus legitimum ; deinde Preceptores, illorumq;
modum & methodum accuratam ; tum demum studia, qvibus se se con-
scrabunt, & postmodum virtutes & characteres exinde resultantes
traclavi, indigit avi & enumeravi. Hisce ventilatu, qvibas hoc speci-
men inaugurale Academicum adscriberem, non diu mibi liberan-
dum fuit, cum bene de me meritos in memoria habuerim recenti, qvi-
vè ingenia qvorumvis noſſe volunt. Tibi ergò Reverendissime gra-
vissimè Domine Superintendens Patronoq; submissè colende, Vobisq;
Pl. Reverendi & Clarissimi Domini Lectores fautores Plurimum bono-
rundi, bo & qvalecunq; specimen Academicum, humiliè insinuare,
modestè offerre, submissaq; dedicare animam induxi ; nihil jam in
votis habens supra, quam ut tua Reverendissima dignitas, vestrag;
Clarissima & Reverenda dignitates hoc operis officiig; placido beni-
gnog; suscipere animo, ing; bonam partem interpretari dignentur ;
solito suo patrocinio & favore multo me meaq; studia foyendo pro-
movendoq; . Vobis itaq; de cetero, Reipublica literaria fortia fulcra,
ingentes columnæ maximaq; monumenta cum sitù, annos Nestoreos
cum incolmitate & felicitate optata, vovo, opro, precor ! Valete !

Maximè Reverendæ dignitatis tuæ, Vestrarum-
que Clarissimarum & Pl. Reverendarum
dignitatum cliens

DANIEL NORDIIN.

Ad

Ad
Doctissimum Humanissimumq; Philosophiae
CANDIDATUM,

Dn. DANIELEM NORDINUM
ANGERMANNUM,

Pro Gradu de *Informatione Principis* disputaturum,
commilitonem & amicum meum colendum:

DANIEL NORDIN,

Per Anagramma:

NIDORN? DA LENI

NIDOR non NE nocet male? DA
Deus entheal LENI
Aura currenti fraga, savora diu!

L. m^q
ENEVALD. SVEN. Q. G. A.
S. S. Tb. D. bodiæ Acad. Rector.

Politissimo Viro Juveni,
Dn. DANIELI NORDIIN,

Philosophiæ Candidato laudatissimo, amico & commilito
meo dilecto, pro honoribus in Philosophia obtinendis, de *Institu-*
tione Sc. Principis dotte disputanti, gratu-
latio dños Xedias in:

SI REX ipse bonus; bonus est quoque civis; & inde
Principis eximium mos quoque calcar habet..
Principis exemplar monstras NORDINE per amplius:
Hinc te jure bono publicus ornas bonos.

AND. WANOCHIUS

Phil. Pract. & Hist. Prof.
Fac. Phil. Decan,

MEM.



MEMBRUM PRIMUM,

*Efficaciam institutionis ejusq; initium seu
Tempus representans.*

§ I.

AVeram Ecclesiam sive constituendam sive cognoscendam, principatus a Deo amplissimos accipiendos, thesaurosque haeredibus maximos cumulandos, non solum vivere seu nasci, verum præsertim benè vivere necessum est; quomodo autem hoc fieri nisi filii jam crescentes, tradantur Magistris, a quibus recte gubernentur, bonisque Educatoribus, a quibus vitam agere suo loco dignam, & leges datas & dandas servare discant?

§ II.

Cillum vero istitutio seu educatio quā maximē expediant, in quārum cardine summa vitae humanae versatur felicitas, non utique intermittendae; quia tenerae mentes ut vires sunt, quae pedamentis quibusdam ac radicibus indigent ne jaceant; ita pueri, ut informentur plurimum interest: præsertim cum ad benē beatęq; vivendum, rem publicamq; regendam, maxima sint momenta, ut quidam excellentissimi in Academia, Hasso-Schaumburgica Professor egregie docet & differit.

§ III.

Nisi enim illi, qui præclarām indolem cum anima bona sortiti

fortiti sunt, naturæ bonis & ingenitis illis virtutum semi-nibus, educationem acceperint liberalem, plerumque accidit, ut vel æruginem contrahentes, in Socordiam & pravitatem degenerent, vel instar plantæ succo necessario destitutæ penitus elangvescant. Arbori proinde non temere hominem conferendum esse, censem rarioris doctrinæ viri, cuius pedes radices, & capilli frondes sunt: qvæ si gnaviter excolatur, dum tenera & flexibilis est, si rami inutiles circumcisæ, tunc qvin in altitudinem assurgat rectam jamque grandior facta optimos & sapidos proferat fructus, extra dubium est, juxta eminentia qvarundam Academiarū ingenia.

§ IV.

ITa flexilibus & cereis puerorum animis prorsus evenit, ut, nisi à cunis ipsis maximâ instituantur cura & excolantur, nisi pravi mores resecentur & castigentur in tortuosam vitiosamque declinent naturam: Sin vero, indoles prima, æquis corrigatut & coérceatur legibus, mirabiles orbi fructus conferre, notum est juxta illud Virgilii: *Adeo à teneris affuefcere multum est.* Sané naturæ propensio ut est optimæ frugis semien, ita consuetudo, cum dicatur quasi altera natura, jucundè operantem afficit, & quidquid tortuosum fuerit, mira contemperat svavitatem, ceu loquitur Theander apud celeberrimum illum Barclajum in Argenide.

§ 5.

IN Deum ergo & Rempublicam peccant, qvi in educatione liberorum suorum omnem abjicientes curam, tantummodo vitam, genus, opes & divitias impertiunt; bene verò, qvod maximi interest, illis contingit, qvi liberali educatione liberos informandos curant, propterea, jure meritoqvc majori laude & commendatione digni, ab omnibus cordatis & reputantur & salutantur. Qvod beneficium ab eis qvorum

qvorum interest raro aut nunquam rependi accepimus,
ad nutum eminentium, ubicunque fuerint, ingeniorum.

§ VI.

Necessitatem & efficaciam institutionis ex supra positis
perpendimus, tanquam in genere, nunc Specialius
ad propositum memet accingere licet. Si enim ornes,
cujuscunque ordinis & dignitatis fuerint, informatione in-
digeant, quanto magis Regum & Principum, indeque re-
gnorum principatumque haeredes, qui tot populis, tot ci-
vitatibus & provinciis, commodo sunt futuri, institutione
opus habeant. Profecto illi summo studio, summa adhibi-
ta diligentia & assiduitate educandi; sin minus fiet, maximo
omnibus exitio futures in proclivi est. Qvod enim in pue-
ris Principum elucet, plurimorum bonorum spes est, quæ si
in prima moritur ætate, non naturam defecisse, sed curam,
quam ab ipsis cunis diligentem esse volunt à parentibus,
manifestum est.

§ VII.

Statim ergo à teneris Princeps informandus, eo scilicet
tempore, quo nondum se Principem esse intellexerit,
nam sero, dum grandior fit, castigatur, sed potius inobedi-
ens evadit. Proinde futuri Principis pectus, cum adhuc
vacuum ac rude sit, salutaribus erit præoccupandum opini-
onibus, ac protinus in puerilis animi novale jacienda ho-
nesti semina, quæ paulatim ætate & usu rerum suppululent
ac maturescant, & semel infixæ in omnem usqve ætatem
inhærent: nihil enim ita insidet & inhærescit, quam qvod
primis inseritur annis.

§ VIII.

Quemadmodum membra infantium simul diriguntur
A 3 ne

ne quam primum à matribus editi sunt in obliquum curventur, ita puerorum animi dum adhuc sunt molles instar ceræ, sigillis imprimendæ, ad omnem agi institutionem sine aliquaque difficultate magnaque molestia possunt. Quid melius alioquin facient, cum quiescere nequeunt, aliquid discant necesse est: Nam quod serò quis discere caput, perfectè nunquam disceret; dum verò infantia & puéritia bonis instrui moribus possunt, cur non ad literas eadem aptæ sint? cavendum tamen ne multo discendi labore onerentur, ut cum aliis Argentinentes loqui amant.

§ IX.

Ad stabiliendam sententiam de prædicto tempore educationis observando, adferatur historia quædam scitu, memoria & consideratione diligentiori dignissima, allegata & introducta apud Historicum quendam nobilem, Dicæarchum, quem in horologio suo principum Antonius de Guevara citat, quæ paululum contracta talis est. Ad Antiquissimum illum philosophum, Solonem Salaminium, pater & filius quemque venerant: filius, quod quamvis sit patris unicus filius, vivens tamen ab eo abdicatus & alias loco ipsius adoptivus, haeres factus; postulabat proinde opes sustentandæ vitae. Pater v. de filio vice versa, quod filius sibi ab incunabulis sit adversatus, & propterea vivens exhaeredatus: Filius verò respondit, se quidem patri molestum fuisse, sed patris id factum culpa, cum eum, dum puer esset, non informari cura verit, reponit. Tum pater quidem affirmat se ipsi indulsisse, sed ipsum dum grandior esset, à se eruditum & castigatum, & quod non puer informatus, in causa erat, quod tenera ipsius filii æstatula disciplinæ non fuerat capax. Cui filius, fateor, inquit, mi pater, te cum puer essem, curasse ut literis imbuerer sed non inficias ibis, si quam noxam admissem, te non sustinuisse ut castigarer & plesterer, atque inde

de factum, qvia passus es me facere qvod mihi puerolubet, tibi inobediens evaserim, dum grandior essem. Hisce auditis Philosophus sententiam tulit tales: ut Pater mortuus sepultura careret, qvia puerum non castigavit: filius autem quamdiu pater viveret, hereditate privaretur, quoniam patri non obedivit dum adolescens erat; deinde omnia patris bona apud virum quandoam bonae fidei deponerentur, qui inde det ipsi patri alimenta quamdiu vixerit, facietque filio mortuo sepulchrum. Hanc ergo sententiam quæ & vitam & mortem complectitur, non sine ratione tulit.

MEMBRUM SECUNDUM.

*Primos moderatoros, Praeceptores & modum in ipsa
institutione observandum continens.*

§ I.

Primos Principum moderatores siccō præterire pede non licet, qui sunt tanquam pali ab hortulanis affixi, receniores plantas suffulciantes, quos nutrices vocamus, quæ si justè non processerint, Principum filii maximam facturi sunt jacturam; Lactis enim educatio plurimum valet; qvippe abstemias nutrices abstemios educare alumnos, & è contrario, temulentas ebriosos alere, cernimus. Huc rerum Magistra experientia facit, quæ hædos ovium lacte alitos molliore gaudere capillo quam propriis matribus nutritos, testatur: idem de agnis, quibus capræ lac præbent, referre & narrare non ignorat. Optimæ igitur nutrices, non solum aliis, verum maximè Principum filiis ad Regni spem in lucem editis, diligendæ sunt, adeo ut earum notæ & characteres in prudenter, virtute, moribus, sermone, forma & habitudine consistere debeant, & in iis sint probatissimæ, ne natus ad tantā sublimitatem infans in primo vitæ limine tam parva diligen-
tiâ fraudetur, affirmantibus id qvibusvis doctissimis.

§ II.

Postquam nunc moderatorum notas characteristicas recensuimus, quæ suum munus juxta conscientiam rectam rectæque rationis dictamen obierunt, tradantur Principum filii præceptoribus, ordo postulat. Hic non minor rem adhibebunt diligentiam parentes, quia hi filios ipsorum benè beatèque vivere docebunt. Proinde de characteribus quibus suorum filiorum præceptores gaudebunt solliciti sunt. Adfiscant ergo ex universo suorum numero undecunq; viros, quibus & ætas reverentiam, & vitæ sinceritas auctoritatem, morumque comitas & jucunditas, amorem & benevolentiam concilient, ne eorum acerbitate offensus tenellus animus Principis, virtutem prius odisse, quam nosse incipiat.

§ III.

Speciales & præcipuae notæ & characteres, qui maximi sunt pouderis, & eis, quibus moderatio filiorum Principum committenda, proprii sequentes esse debent. *Pietas* quæ si desideratur, ceteri sese male habent; ratio hujus rei hæc est, quia timor Domini est initium sapientiæ. *Vite innocentia & morum sanctimonia & integritas*, ut nec vitia habeant nec ipsi ferant, sed vita verbis optimè respondeat. *Gravitas* quâ alendi, exercendi erudiendi que Principis, curram habeant, præsintque aliis præceptoribus & demum videant, ne quid turpe & indecorè agant. *Temporum usus, exercitatio & experientia rerum*: scilicet non tantum doctrinâ qualicunque in Scholis comparata imbuti esse tenentur, sed ampliori rerum notitia, adeo ut & nosse & tractare ingenia queant. *Doctrina* minimè ventosa: nam nihil pejus quam qui aliquid ultra primas progressi literas, falsam sibi scientiæ persuationem induerunt & idcirco scientia, qua parum pollent tumidi jure meritoq; dici possunt. *Fides & diligen-*

ligenzia: ut non obiter, quemadmodum multi (proh dolor) docuere, informent; Summam enim sedulitatem, sum-
mam industriam, summamque solertiam adhibebunt, qvi
bus discipulos examinent, profectum eorum explorent, pec-
cata seu delicta demum cum moderatione corrigant. Ca-
vendum etiam maximopere in cruda Principum aetate, ne
homines ambitiosi, crudeles & avari in tutelam eorum se-
se inlatebrent, qvi prætextu, Regia dignitatis amplifican-
da, omnia pro animi sui libidine, veteres & probatos offi-
ciarios exigant, alios autem sibi faventes, imperitos in eorum
substituant locum, quo liberius agere qvæ velint, possint, ceu
Argentinenses & Rintelenses memoria prodere amarunt.

§ IV.

FAcundus hic præterea Præceptor requiritur acuto inge-
nio, judicio integro & sano prædictus, in omni genere
disciplinarum versatus, qvivè vitiorum subtilis & acer anim-
adversor, qvi etiam Sapientiam cum probitate conjunctam
habet, nec ab una disciplina in aliam præpostere repat; nam
nihil discenti deterius eveniet, qvam si intetdiu variis imbu-
atur disciplinis: Quemadmodum enim infans, si ab uberibus
nutricis, cui adsuevit, amoveatur; non facile feret mutatio-
nem, mallet enim fame perire qvam novæ nutricis mammis,
os labellaque admovere: Sic adolescens, si ab ea qva solitus
est disciplina doceri, prius, qvam vires collegit roborisqve
firmitatem adsumpsit, ad novas traducatur disciplinas, etiam
novos magistros; dediscet potius quam discet: testes sunt
Lugdunentes una cum Ludovico vive ac Alsteno Bloë-
mertio.

§ V.

ETiam illud observandum, ut futurus Præceptor citra
contumeliam objurgare, citraqve adulacionem laudare
norit, quem illi simul ob vitæ severitatem reverantur &
morum

morum jucunditatē amēnt. Duo autēm præcipue inculcare debet: 1. pudorem servare, qvi actiones & cupiditates regere possit, & pro habena retinaculoque sit. 2. Laudis studium observare, qvod discendi ac legendi aculeum & calcar acutissimum subdere solet.

§ VI.

Vitia, qvæ magistri s̄epiusq; prænominati Præceptores averruncare debent, præcipua sunt quatror, sin minus grāvissimam pñnam & castigationem merentur, juxta illud: *Omne furtum & damnum vince à bestiis illatum, præstandum est vinitori, qui operam illi custodiende locavit.* Primum illud vitium est, *Mendacium* ut neq; serio discipulos, mendaces esse patientur: nihil enim turpius qvam veritatis parcum & mendacii largum esse, notum est omnibus cordatis; nam iu pueritia qvi per jocum mentiri discunt, in senectute minimè desistent. Secundum est, *ludus*, à qvō discipulos arceant, ne à pueris aleatores esse assūescant. Scilicet, magnum præsagium foret, ut & se & imperium perdat Princeps, si studio ludendi à teneris flagret annis: qvare in hoc casu nutritores & magistri nec sint inertes nec socrades; ea qvippe mali hujus ratio est, ut qvi in pueritia aciculam deponere audent, verendum ne in virili ætate & tunicam & pallium deponant. Non hoc volumus vel sentimus, ut à lusu arcendi sint tam propter pecuniam qvam perdunt, qvam ob vitia qvæ colligunt & mōres pravos, qvos addiscunt: Tertium vitium qvod ejicere & eradicare tenentur, sunt *petulantia, levitas, audacia, inverecundia*: non enim permitteendum ut nimis sint leves, qvia juvenem levitate exultantem, in senecta pessum iri usitatissimum est. Non asentiendum ut sint audaculi, qvoniam juvenes præferoces in viros evadunt turbulentos & seditiosos. Non ferendum ut sint impudentes, qvoniam juvenis impudens in virum neq; am

neq; vam sapientia prudentiaque experitatem assurgit. Neque diadema in capite neque caput in humeris, neque bulla in pectori, neque Sceptrum in manibus, neque turma Satellitum quos in comitatu ducit, majorem Regi gloriam conciliant, quam animi tranquillitas & quietes, quae in juvente a tenetris emicat annis. Quartum, quod observabunt doctores, ne, postquam ex ephesis excesserint adolescentes, obscuris libidinibus illos inquinari & contaminari patientur, sed tillationi affectuum pravisque inclinationibus adolescentiae, capistrum remediumque adhibeant: Sin minus, semper virtutum incrementa, virtutum decrementa comitabuntur, ut de his loquitur citatus ille Episcopus Antonius de Guevara.

VII.

Tandem cum praceptor mirabiles adverterit discipulorum suorum profectus, eos, quibus potest, irrigabit assiduis consiliis & sedulò in mores eorum intuens, non ut molestus censor & patruus, sed ut pater amantissimus. Deinde novella haec germina virtutis, fovebit & excolet, adeo ut si quos viderit rarusculos inutiles, noxiosque stolones repulliantes, statim eos amica desecabit correctione. Semper plurimus de honesto & bonofiat sermo, emendanda non disimulet, simplex in docendo, patiens laboris, cornis interroganti; in laudando nec malignus, nec effusus, & in summa, omnia ad momentum Prudentiae referenda, ut præclare sentit quidam celeberrimus Batavorum institutor.

§ VIII.

Praeceptores qui haecce omnia observarunt, avocarunt, & amoverunt, arduum munus sed sanctum tamen gesserūt, sicut ad huc faciunt multi; parentum proinde loco habendi, quorum numerus extat apud egregium illum scriptorem Swingerum in sui operis tomo I.

MEMBRUM TERTIUM.
*Studium Principibus magnopere necessarium
Complectens.*

§ I.

Tenellum animum Principis ad studia literarum seu artiū liberalium arte qvadam invitandum arbitramur, ne pulcerrimus cursus contrariis ventis pervertatur, dum in improbo labore musæ conciliantur, qvæ cum in secretum sœpè admittuntur, sic aliquando fore ut inde saniora, Principes, præcepta, huius possint, regendis aliquando populis. Indicandum, qvanta sit in studiis dulcedo, qvæ voluptates, qvam solidæ, qvam perpetuæ, qvam diuturnæ, quibus nullæ omnino valeant comparari, sapientia hac adscititia rationem ingenitam perfici extra dubium omne est, illamque latius pervagari notum. Deinde etiam subdere licet in eadē invitatione, sapientiam illam adscititiam esse mentis lumen clarissimum, quod non minori studio, quam oculorum lucē cæcus expetere debet, neque ex illis bonis esse qvæ a nocturnis prædonibus diripi solent, vel his qvæ aleæ fortunæ, expoununtur; sed esse æternam seu perpetuam possessionem, affirmantibus etiam lugdunensibus.

§ II.

Demum ex contrariis teneram æstatem Principum ad liberalia studia adpellere conantur periti, demonstrando ignorantiam & inertiam, in Principe, regendæ Reip: nato, nihil unquam turpius esse (cum tantum tenebræ malaqve multa perniciosa ex ignorantia nascantur) imo non turpe Solum, verum damnosissimum; si enim aliis, minoris sortis, exinde horribilis contingit jactura, quorum magna regere non interest, multo magis Principi, saluti totius reip, nato, id est illi

illi, qvi Reip. felicem statum & omnia benē composita ser-
vare & regere debet. Princeps ingenitā imperitiæ relictus,
dissolutam mollitem ignavumque tumorem, fastidioso
nutu cuncta despicientem, nasci permittit. Deinde ingens
ille majorum numerus oculis subjiciendus, qvi sese scien-
tiarum studiis tradidere, formaque regiminis anteivere,
qvæ prudentia & sagacitas ex frequenti lectione imbibita,
fax inter ciuiles syrtes est, qua duce à tramite recto vix aber-
rare possint.

§ II.

QUAMVIS primo intuitu ratione laboris aliquid ardui &
asperi videatur primisque primordiis studiorum, tamē
non est qvod deterreantur Principum filii; qvia scientiæ li-
beralioris culturam sub fine jucundam & valde delectabilem
esse quotidie probavimus. *Nam nemo nascitur artifex; om-
ne principium grave.* & tandem *finis tamen jucundus.* Te-
nello animo ita hisce persuaso, disqvirendum erit qvodnā
studium principi futuro necessarium, hic priora tacemus
qvæ præcedere solent, cætera fundamenta latinæ lingvæ seu
eloquentiæ adstruimus primo ediscenda, qvæ imperium ubi-
que omnium linguarum obtinet, una instar omnium, gran-
dæva, formosa, sibique superstes. Vicit hæc barbariem
& è funeribus ruderibusque antiquitatum, felici fato resur-
rexit. Hujus ergo præcepta summa pervolvenda sunt dili-
gentiâ; qvæ optimè intellecta, memoriæ infixæ & ad praxin
scil: scriptio, versione, explicatione, & resolutione dili-
genter deducta, viam ad explicādos puræ latinitatis auctores,
ex iis modos loquendi puriores, & solēnniores excerpē-
dos, non deviam & remotam sternunt & demonstrant, ut
peritissimi harum rerum loqui & inculcare solent.

§ IIII.

INTERA in religionis orthodoxæ institutione cura maxima
B 2
collo-

collocanda. Phylacteria vestibus assuere voluit Deus Israelitas, ne lex divina ex memoria eorum efflueret Exod. 13. ut esset quasi signum in manu ipsorum & monumentum ante oculos, Servire Deo jubentur Deut. 6. Sectari pietatem 1 Timoth 6. Parit gratiam cum Dei tum hominum Prov: 3. Dei honos & cultus est finis vitae primarius, ad quem unicè collimandum est. Est & religio Reip. propugnaculum fundamentumque omnium virtutum. Quatenus nunc Princeps Deo subjectus salutem querere debet & quatenus salutis publicæ procurator, imo utriusque tabulae decalogi custos, eatenus, scientiam illam divinam sive theologiam pie probeq; nosse oportet; cum sapientus accidit, ut de controversiis judicare ei incumbat, quas & ipse vitare omnem movebit lapidem: quod cum alii tum Eрудitissimi Rintelenses & argentinenses suis adfirmant scriptis.

§ V.

SObrie ergo ei philosophandum, qui ad Rempub. aspirat, nec est necesse, ut totus philosophia immergatur futurus Rex: nec aliquis in Principe summam & scrupulosam $\alpha\chi\rho\beta\epsilon\alpha\tau$ postulet, cui tot & tantæ sunt occupationes, nec quisquam Principem in argutiis & sophismatibus scholasticis indagandis tempus irreparabile terere sinat. Ante omnia tamen philosophiam practicam nequaquam negligere debet, sed assida diligentia, *Ethicam*, *Politican*, *Aeconomicam* pervolvere conabitur. Nam hoc studium non minus ipsi necessarium esse eminentioribus probatur ingenii.

§ VI.

Ad consequendam felicitatem illam civilem in hac vita, disciplinam *Ethicam* evolvere potest futurus Rex; cumque illa in continua virtutis actione consistat, ad nutum peritissimorum Ethices, necessum est, ut media illuc facientia, inquirat, quibus postea probè informatus judicet, quid justum, pro-

probum, qvis pius, fortisve sit, in qvibus virtutes ~~mora~~les cōsistant, qvid sint et & quomodo qvis virtuosus dici possit. Cumqve benè constituere Rempublicam sit Regis præcipuū munus: *Politicalam* tractare sibiq; familiarem reddere operam navabit: hominem enim regere, qvi inter omnes animantes & moribus variis & voluntate diversus est, videtur esse disciplinarum difficilima; multi enim imperare sciunt, sed pauci bene imperare norunt: nam cum multum in consiliariis posuerint, seduci interdum potest sibi suoq; regno damno & ruinæ irreparabili; de qua re, illius *Lampridii* locus apud Reinhardum König citatur, ubi differit qvidnam sit, qvod malos efficiat Principes, nempè non natura, non timor, sed Principis *Mali amici*: Ergo potius est & cōsultius, Rex ipse tunc absolute regat, artem regnandi à Deo petat perfectio-
nis gratia, postqvam præcepta aliorum probe noverit. *Oeconomicam* autem legat ut ipsi ratio constituendæ familiæ innotescat: cumqve multæ lites in familiis oriantur qvæ interea ad Regem remittuntur, opus est, cognita sit ipsi ratio eas resolvendi & decidendi.

§ VII.

Principibus, publicarum Rerum gubernatoribus futuris, ad tractandas regnorum habenas utilis & necessaria est *historiarum lectio*, de regibus, Principibus, eorumqve rebus gestis, formis Rerum publicarum, modoqve imperandi &c. qvorumqve salutaria consilia virtutesqve probatas imitari oportet. Illud tamen cavendū ne in lectione historica, perniciēs hauriatur summa; qvin & præmuniātūr à Præceptoribus, ut cum delectu legant. Proinde ex optimis optima, imitanda & qvædam ab Ethniciis Scripta etiam laudanda censemus. Cogitandum semper Principibus tale; si Ethnici tam juste, multo magis Princeps Christianus, qvi o-

mnia ad Christi normam, regulam seu institutionem referre & dirigere debent, egerant.

§ VIII.

Cognitio juris proprii cuilibet in suo regno perspecta esse debet; alias, ius in quo versatur & jura regni, ignorare non decet.

§ IX.

Vicinarum & confederatarum gentium lingvæ Regi futuro perutiles & necessariæ sunt, præsertim qvibus ipse præfuturus est, ut sine interprete loqui & responsa dare possit, qvod laude dignissimum est.

§ X.

Studium Gravitatis in incessu, in gestu, & cultu non præterundum; nempe iste tardus cum aliquo gravitate conjunctus; ille visui & auditui expositus venerabilem & gravem reddit; hic decens, modicus & splendidus sit necessarium est: nimis, exquisitus, exuperans, neglectus, sordidus & tenuis reiiciendus: qvia ultimæ sortis hominem non decet, multo minus Principem, qui Deo prævio, Deique imago est, cuncta ageret.

MEMBRUM QVARTUM.

Virtutes & notæ characteristicæ, ex tali educatione optimæ, quasdam enumerans.

§ I.

Nunc Reipublicæ suam sibi felicitatem gratulari simul que gaudere licet, qvod talem nacta sit Regem qui sibi optimè prospicere noverit: hic qilibet in suo Tugurio plaudere & Regi omnia fausta ex intimis cordis pentalibus precari potest.

Vir-

§. II.

Virtus illa optima in Dei cultu religioso, religiosaque
veneratione consistens *Pietas* nempe prima prodit,
qua multi Reges prædicti multisque laudibus elati sunt, ut
sacra testatur pagina. Hinc prosper rerum successus, hinc
testudo adversus Sagitas insidianum validissima, hinc
super hostes injusta bella gerentes victoria & triumphus.
Ex omnibus humanis meritis, nullum gratius, nullumq; ac-
ceptius *Pietate*, Deo præstari potest, adeo ut apud veteres
laus pietatis omnium aliarum anteiret; canit enim Virgi-
lius de *Aenea*:

Insignem pietate virum tot adire labores. Optimi e-
nim Reges victimis hostibus, subactisque regionibus, templis,
fanis, sacrariisque pepererunt: eorumque etiam Deorum.
qvos nec noverant, ne dum venerabantur. Ut Sapor per-
sarum Rex incidens in virginis Christiano cultui divino-
que ritui Sacratas, eas custodiri inviolatas, & intactas serva-
ri jussit;

§ III.

Virtutum domina, *justitia* in Rege laudem meretur
egregiam, quam omnes terram judicantes diligere ju-
bentur, Sap. cap. i. v. i. hæc enim Rex cum gaudet, quid
justum sit agit, nullo habito respectu personarum sive cives
sive peregrini, sive humili genere nati pari jure parique be-
nevolentia audiuntur, & excipiuntur, ad mandatum DEI
Ter opt. maximi Deut i. v. 16. c: 16: v. 20, qvod justum perse-
quentur, ut vivant & terram possideant, quam Dominus
Deus illis dederat. Est enim hæc virtus munus Regi pro-
prium, quam à Jove eum accipere testatur Homerus; Regem
Jovis discipulum exinde vocat. Rex enim magistratus omnes
in se uno continet, universorumq; lex habetur. Aristides me-
rito laudandus; per virtutem enim justus est appellatus,
cæteri

cæteri ante eum, expugnatores, fulmina aquilas, viatores, accipitres sese nominari passi sunt: Justi enim cognomen Deo & Regi admodum consentit. Regis tandem est cives suos ad felicitatem perducere, qvod nequaquam nisi per virtutem assequitur: hinc de manu calumniatorum, oppressorum liberatio: hinc peregrinorum, pupillorum, viduarum aliorumque in aliqua difficultate fluctuantium unicum post Deum auxilium, hinc etiam benè de patria meritorum clericorum & laicorum remuneratio, recompensatio, & sustentatio justa æqua & jucunda.

§. IV.

Throrum Regium corroborat virtus illa maximè imperatoria *Clementia*, quam eminentissimus Rex Salomon, *Prov. 20. v. 28.* extollit. Nihil enim summae Majestati tam peculiare, quam clementia seu humanitas, per quam solam imitatio Dei servatur; adeo ut qui clementia & benignitate imperium temperarunt iis candida lætaque omnia fuerunt, quemadmodum experientia ostendit. Cæfaris clementiam extollit Cicero, in quadam Epistola ad Atticum, qvod continuò seditiones intestinas compresserit, pacem non modo urbi, verum Italiam universaque terrarum orbi præbuerit, bella instaurantes coercuerit, leges judiciaque instituerit, labascentem populum Romanum exerxit, nuntiantem Italiam firmarit, civibus pepercerit, inimicis indulserit, exules proscriptosque restituerit. Notandum etiam hic non sermonem esse de clementia nimia, intempestiva, stulta, & simplici; tum nimia humilitate servata, frangitur facile regendi auctoritas, de qua agit excellentiss. Rödig, Rintelensis Professor: *Clementiam inquit non intelligimus talem, quasi omnis exularet à principe severitas; si hoc, crescerent scelera, nocerent exempla, rerumq; omniū severetur confusio.*

§ V. Vit-

Virtutis promptuarium seu moderatrix cupiditatum rationiq; obediens *modestia*, Regi ex bona institutione inhæret, est illa laudibus etiam mactanda, qvæ scil. in Princis vultu gravitatem præ se ferat non tristitiam, qvæ index grati est animi, non levitatis. Proinde dum Princeps ita moribus gaudet temperatis, summam severitatem cum summa humanitate jungit. Hujus exemplum poterit esse Alexander M: qui, ditiores ex victoria factos milites, sibiq; oblatrantes maledictisque incessentes, modestè placideque pertulit, nec iracundia excanduit, asserens duntaxat Regium esse, eos, à quibus malè audit, benignitate & liberalitate lenire. Ejus Pater Philippus Diogenis licentiam in loquendo tulerat, cum urbem Cheronam invasisset: ductus est ad eum cum cæteris captis Diogenes, qui quisnam esset rogatus audacter respondit, Diogenes sum, explorator insatiabilis auiditatis tuæ; at Rex risit illumque liberum dimitti jussit.

Prudentiæ conservatrix *temperantia*, quæ judicium stabile ac firmum in rebus omnibus agendis reddit, in Rege futuro residuebit, quæ illud nec labefactari à voluptatibus, nec à doloribus tabescere aut frangi permittit: nam ut recta sit ratio in dictis & factis, prudentiæ est: Ne vero effundatur, sed circumscripta, firma, stabilis, incorrupta maneat, temperantia est. Nihil ergo Rex pænitendum appetat, nulla in re metam moderationis excedat, sed sub jugum rationis cupiditatem mittat.

Certa morum castigatio, & veluti regula qvædam vitæ humanæ *Castitas*, Regia etiam est virtus, qvæ ex intima C cor-

cordis cogitatione cupiditatum aviditatem, voluptatumq; illecebras rationi subigit, illasq; ad virtutem temperamento qvodom redigit. Castus fuit Aldxander M. casteq; sese erga Darii matrem, Conjugem & filias gessit. idem de Evagora legitur: qvod, qvoad vixit, justum & castum se omnibus præbuit, vitia, cupiditates & voluptates omnes mira qvadam castitate coercuit, multos filios regni successores nullum tamen privato nomine indecorum reliquit.

§ VIII.

Virtus in delectu bonorum & malorum qvæ versatur *Prudentia*, qvæ bona expetit, mala autem fugit, nunc succedit; hac enim insignitus Rex, actiones suas regit, de rebus magnis consultat, præterita præsentibus componit, de futuris judicat, ut eventus rerum quasi præfigere & prædicere videatur. Cum enim Rex, omnia qvæ agit recta metitur ratione, tum nihil in rep. damnosum, nihil interitui obnoxium futurum iri Experientia satis superq; testatur: hæc enim, memoriam augetur, doctrina crescit, longoq; rerum usu perficitur. Salomon mortuo Patre Davide Rex constitutus, non divitias, non dies multos, sed sapientiam & cor docile ad regendum populum à Deo petiit *i Reg. 3 v. 9.*

§ IX.

ANimum Regis prudentiæ & justitiæ subigens, dolorem & mortem decori causa contemnens *Fortitudo* adest, qua nihil difficilius esse potest, nulla vis tanta est, quod non ferro aut viribus debilitari aut frangi possit; sed animal vincere, iracundiam cohibere, fortissimi viri; qvæ dum Rex fecerit similis Deo habendus.

§ X.

ENumeratas virtutes etiam subsequitur *benignitas* seu *bepe-*

beneficentia Regis, in qua colenda Princeps ingeniosus maximeq; diligens esse debet, qvomodo de omnibus benē & juste mereri possit, ut quosdam fauore juvare sciat, & quosdam etiam liberalitate promovere teneatur; afflitos sua autoritate liberet, nonnullis ingenio suo consulat; ne dies perire dicatur, qvo Princeps siue Rex aliquem sua benignitate non affecerit. Est etiam illud magni momēti, ne illa liberalitas in moriones, delatores, voluptatumq; ministros effundatur, dum virtuti præmium, non affectui erit: nam alios spoliare, ut dites alios, hos pessundare ut illos euehas, non est beneficium, sed geminum forte maleficium: hac vero instructum Regem, nulli injuriam factum speramus.

§ XI.

Quoniam nunc restantes Regis virtutēs énumérare & perpendere tempus adeo breve non permittit, egre-
gia tamen & tanquam in tabula ante oculos posita, Epithe-
ta, qvibus Julius Pollux Regem signavit, apud magni nomi-
nis virum Rote rodam citata, omnes virtutes tanquam
in compendium reducentia adponere volui, qvorum nume-
rus memoria considerationeqve haudqvaqvam indignus est.
Sit pater, mitis, placidus, lenis, providus, æquus, humanus,
magnanimus, liber, pecuniae contemptor, haud obnoxius af-
fectibus, sibi ipsi imperans, dominans voluptatibus, ratione
utens, acri judicio, perspicax, circumspectus, valens consilio,
justus, Sobrius, Numinū curam agens, hominum negotia cu-
rans, stabilis, firmus, infallibilis, magna cogitans, auctoritate
prædictus, industrius confector negotiorum, Sollicitus pro his
qvibus imperat, Servator, promptus ad beneficentiam, len-
tus ad vindictam, certus, constans, inflexibilis, propensior
ad justitiam, facilis aditu, comis in congressu, commodus
alloqui volentibus, blandus, expositus, curam agens suo pa-

rentium imperio, amans militum suorum, tam qui doctrina & eruditione contra hostes orthodoxæ fidei quam qui armis æneis & ferreis pro limitibus regni pugnant, qui bellum strenue gerat, non verò affectet, pacis amans, pacis conciliator, pacis tenax, appositus ad emendandos populi mores, qui lucem agere norit, ac Principem, qui leges Salutares sciat condere, natus ad bene merendum. Hisce nostrum, si Deus vitam concederit, salutabimus Principem. Maximam, subditi ergo precibus assiduis, intendant curam, ut Numen altissimum, suo auxilio & nostra & aliorum studia augeat, promoteat, procuret!

Gloria Patri, Filio & Spiritui Sancto, sicut erat in principio, ita nunc, & semper in secula nunquam finienda!

πέδος τὸν, εἰς ἄκρον καὶ πυμὰς, τῆς Φιλοσοφίας ἐξαιρεῖται
νομί μως ἐληλυθότα,

κύρ. ΔΑΝΙΗΛ ΝΟΡΔΙΝ,
φίλον μας αἰωνιῆὸν καὶ ἔνιμον πεσος φάνησις.



ἴτα μέν δι τικρὸν, καρδὶς δὲ ἀρεῖς οὐ φίας τέ,
Αὐτὴν ναι γλυκύτης, ὄφελός τε καὶ ἐξοχὴ δεῖν.
Αγύρτες καὶ πόλιας σοφία, καὶ νῆα κυβερνᾶ
Ολβί. Καὶ γὰρ εἰ μὲν ΝΟΡΔΙΝ, τὸ τικρὸν τό τε μυστῶν
Καὶ γλυκὺ γένυσας ἀνεύ δὲ μὴ σπεδῆσῃ ἐπάνω
Εἰς ἀκμὴν σοφίας νὺν γὰρ νομίμως ρά καλίζει
Ἐντυχίαν δώσοι ὁ Θεὸς πολλὴν τε μεγίστην!

αἰκεραίως ἐπθυμεῖ
SIMON PAULINUS.

